Principes in Majeſtate, non ut Reges terræ inter pompas, & faſtus ſæculi, ſed ſine hac mundi pompa, ſine hoc mundi ſul ore. Nativitas ejus etiamſi obſcura videatur, tamen natalibus Principum, Regumque præferenda eſt. Nemo eorum eſt, qui in peccatis non fuerit conceptus, nemo eorum qui non ſit in odio Dei, & iræ filius; ſed Maria in ipſo ortu ſuo objectum eſt, in quo ſibi complacet Deus; Altiſſimo dilecta eſt, uberrimis benedictionibus ejus cumulata, omnibuſque Spiritus ſancti donis locupletata. Hoc veram illius magnitudinem conſtituit; ita Rex gloriæ illam exornat, quam vult honorare. *Idem.*

Apoſtrophe ad Sanctiſſ. mam Virginem.

Creſce Virgo naſcens, creſce, & pro Deo, cui naſceris, nobis, in quorum utilitatem naſceris. Aliquando es parituга hunc ipſum Deum, a quo hodierna die vitam recipis: vive, & creſce illi ſuum Tabernaculum die præparatura. Se ſe tuo claudens ſinu auguſtum tibi collaturus eſt characterem, & ad divinam ſublaturus Maternitatem. Vive, & creſce ad ſublimem hanc dignitatem & glorioſiſſimum fatum. Per te venire vult ad nos, noſque ex captivitate ſubducere. Vive, & creſce ad Salutem noſtram, Salvatorem hunc nobis datura, qui oriens ex te, te ipſam Fidelium omnium Matrem efficiat. *Pater Croiſet.*

Maria naſcitur Dei Mater futura.

Sufficit ſcire Beatam hanc puellam, quæ naſcitur, & cujus hodierna die tanta cum ſollemnitate recolit Eccleſia Nativitatem, ideo naſci, ut ſit Mater Dei. Non aliæ requiruntur cauſſæ ad æquiſſimam hujus feſtivitatis cauſſam recolendam, & aſſequendum Eccleſiæ ſenſum cum omni pietate, & lætitia, & celebritate, quæ fieri poteſt maxima Sanctam hanc Nativitatem recolentis. Oritur Beata Virgo, & quod hunc Ortum diſtinguit, quod illum beatum efficit, quod reddit primum hoc momentum, quo lucem adſpicit, obſequiis noſtris, noſtraque communi lætitia digniſſimum, non eſt Majorum ejus gloria, neque ſui generis amplitudo. Qui mundi occupantur ideis naturalia hæc in pretio habeant bona, quod ex Regibus, & Patriarchis in lucem prodierit: quod autem te, Virgo Sancta, commendat coram Deo, quod noſtram ciet alacritatem, venerationem, confidentiam, amorem, non eſt avitarum dignitatum fulgor, non illorum præclare geſtæ res, non magnitudo, non potentia: ſola Sanctitas, quæ Conceptionis tuæ peperit felicitatem, parit etiam felicitatem glorioſæ tuæ Nativitatis. Noſtra Felicitas ex fonte alio fluere non poteſt. Lætamur quidem in principum virorum ortu; ſed quamvis illi hominum plauſibus excipiantur, quamvis illis in ipſis etiam incunabulis, ſummi adhibeantur honores, tamen cum in peccato fuerint concepti, iræ ſint filii, digni odio Dei, & ſeveriſſimis Juſtitiæ ſuæ ſuppliciis obnoxii, quemcumque illis honorem, quodcumque illis exhibeamus obſequium, nequeunt diu per ſe vel minimam Aulicis ſuis gratiam conferre. At Sancta Virgo jam, dum oritur, objectum eſt, in quo ſibi complacet Deus, filia eſt Altiſſimo cara, uberrimis benedictionibus ejus cumulata, omnibus Sancti ſpiritus donis aucta, ejuſque apud Deum potentia, in ipſo Nativitatis ſuæ momento tanta eſt, ut ſola naſcens de nobis melius mereri poſſit, quam Sancti omnes ſimul toto vitæ ſuæ ſpatio, & Beata eorumdem manſione in gloria. *Idem.*

Gaudium, & devotio, quæ nobis eſſe debet propter Virginis Nativitatem.

Quas nobis illa gratias in ipſis incunabulis ſuis obtinere non poteſt? Qua benignitate, & oblectatione in ipſis incunabulis obſequia noſtra non recipit? Si Mariæ Nativitas nobis eſt lætitiæ argumentum, nonne dicere poſſumus, noſtram confidentiam, devotionem, amorem erga Mariam in die Nativitatis ſuæ illi quoque argumentum eſſe lætitiæ? Honores, quæ naſcenti Mariæ exhibentur, nobis cor ejus conciliant, & noſtra devotio hodie non poteſt non placere ſummopere divino Filio, cui cordi ſunt honores Parenti ſuæ adhibiti. Si honores adhibiti Principi in obſcurum, humilemque locum redacto eidem jucundiores ſunt, & acceptiores, quam qui ſibi in ſolio ſedenti, & in Aulæ magnificæ luce deferuntur; quonam oculo, qua cum voluptate Sancta Virgo reſpicere debet devotionem, qua dilecti filii ſui Nativitatis ſuæ Myſterium proſequuntur? In paupere, infirmo, obſcuroque ſtatu, in quo naſcitur, in honore haberi, & coli tamquam ſupremam Univerſorum dominam, tamquam hominum Mediatricem: hæc una devotio illam impellere debet ad effundendas inſignes ſuas gratias in eos, qui ſunt zelotes gloriæ ejuſdem cultores. *Pater Croiſet.*

Nativitas Sanctæ Virginis ciere debet in nobis confidentiam, amorem, devotionem.

Sanctiſſimæ Virginis nativitas Meditationis argumentum eſt, quod ſummam nobis adfert conſolationem, & plures nobis ſuppeditat ſaluberrimas animadverſiones. Nihil magis noſtram excitat confidentiam, amorem, devotionem, reverentiam erga Dei Matrem, quam glorioſæ hujus Nativitatis prærogativæ. Si enim Mariam in ipſa conſideremus, in incunabilis ejus, in electione, gratiis, virtutibus, Sanctitate, meritis, gloria, privilegiis, omnia ſunt ipſis etiam Angelis admirationis argumentum; quem effectum in animo, & corde hominum producere debent hujuſmodi conſiderationes! Si illam inſpexerimus ſecundum eam quam cum nobis habet relationem; ipſa Regina eſt noſtra, Advocata, Conredemptrix, pia Mater, & Spes noſtra, ut canit Eccleſia; noſtra cautio eſt apud Deum, ut loquitur Sanctus Auguſtinus; malorum omnium medicina, ut prædicat Sanctus Bonaventura; pax, gaudium, conſolatio noſtra, ut cum Sancto Ephrem loquamur: denique gloria noſtra eſt, corona, & vita noſtra, quibus nominibus ab eadem Eccleſia appellatur. En quænam ſit beata puella, quam hodierna die veneramur in incunabulis; hi ſunt tituli, prærogativæ qualitates Matris naſcentis. Sed nonne ſimul eſt Mater Dei? Eſt profecto in decretis æternis, & in conceptu Dei, cui per omnem æternitatem ſunt omnia præſentia. Illa concepta fuit ſine labe, nata eſt prorſus Sancta, ut ſit Dei Mater; & quamvis Princeps, qui naſcitur, nondum ſit Rex, ſatis eſt illum Regem futurum eſſe, ut honorari mereatur. Quinam ergo eſſe debent ſenſus noſtri erga potentem, amabilemque Matrem Dei, quæ ut ita dicam nobis eſt omnia, cui nos omnium rerum locum tenere videmur? Ex omnibus diebus, ex quibus Principum vita conſtat, ſolus Natalitius dies quotannis dies eſt lætitiæ, officii, feſtivitatis; at non ſemper æque juſtum eſt gaudii argumentum. Uſus hic oſtendit amorem, & reverentiam, qua Principem colimus die anniverſaria ſuæ nativitatis. Lætitia noſtra erga Mariam ortam, veneratio, & cultus noſter æquiores ſunt, & obſequia noſtra melius ſunt inſtituta. *Pater Croiſet.*

Sancta Virgo oriens Mundo adfert omnia felicitatis, & beneficiorum genera.

Naſcitur Maria Dei Mater futura, ideoque futura etiam hominum Mater, univerſorum Domina, ſpes, refugium, & conſolatio noſtra. In lucem prodit meritis cumulata, & certo certius ſcimus hanc mundum felicitate, & benedictionibus eſſe cumulaturam. Fidelis poteſtne non impigre illi ſua obſequia, ſuumque cultum præſtare, huic Dominæ, ex eo momento, quo lucem incipit intueri? Numquid nobis expectandum eſt, dum ad Crucis pedes animam perflet, aut triumphans in gloriam aſcendat? Cæleſtes Spiritus non defuere, quominus ſua illi præſtarent obſequia, ſtatim ac illa prodiit in lucem, illam ex eo tempore venerati tamquam omnium beatarum mentium Reginam: quænam igitur eſſe debet ſollicitudo noſtra, quæ vota, quæ affectio die Nativitatis ipſius? & ſi Mundi Optimates quotannis recolunt natalitium diem, tamquam diem ſuæ feſtivitatis; ſi nullam detrectant gratiam; ſi hæc dies eſt, qua ſuam libertatem oſtentant; putamus ne Mariam nobiſcum minus gratioſam, ac liberalem futuram? Non ita, Sanctiſſima Virgo, non ita cogitamus, & eſſet fovere ſenſus indignos auguſta dignitate tua, ſi de tua in nos largitate hujus feſtivitatis die dubitaremus. Ego vero decrevi, nihil hodierna die prætermittere, ut me gratia tua non præbeam indignum. *Idem.*

SUPPLEMENTUM

Ad Titulum

PRÆSENTATIONIS SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

Quid die hac celebrat Eccleſia.

HOdierna die celebrat Eccleſia feſtum Præſentationis Beatæ Mariæ Virginis in Templo; videlicet publicæ, ſollemniſque oblationis, quam fecit Deo cordis ſui, mentis, corporis, omniumque facultatum animæ ſuæ eo modo, qui omnium extitit perfectiſſimus, & glorioſiſſimus Deo. Hoc maximum eſt Sacrificium, quod a mundi primordiis ad illud uſque tempus factum fuerit. Nunquam mera Creatura fuit hac Sanctior, & perfectior, ab ipſo primo vitæ ſuæ momento ſanctificata; & quæ ſola ipſo Nativitatis ſuæ die ampliorem poſſideret Sanctitatem, quam ſimul omnes Sancti in obitus ſui hora, ut Patres inquiunt. Maria tertium agens annum, ſeſe offert, ſed evovet, ſe conſecrat Creatori ſuo in Templo Jeruſalem. Ullane fuit unquam pretioſior oblatio? Vidit ne unquam in Templo ſuo Deus victimam ſibi cariorem? Quot Cæleſtes Spiritus adſtiterunt huic Religionis actui, qui in tantam cedebat Dei gloriam? Huic cæremoniæ, quæ excivit totius Cæleſtis Jeroſolymæ admirationem? Cælum univerſum fauſtiſſimo illo die lætatum eſt. Poteratne Eccleſia non celebrare hoc ipſo die ſollemnitatem, & tantæ feſtivitatis memoriam? Hæc res tot impulit Sanctos Patres, ut Præſentationem Sanctæ Virginis in Jeroſolymitano Templo reſpicerent tamquam primum Religionis actum, qui Deo eſſet acceptiſſimus, & hujus diei feſtivitatem tamquam omnium, ut ita dicam, feſtivitatum præludium. *Pater Croiſet.*

Duplex modus præſentandi in Templo apud Judæos.

Duplex erat apud Judæos Præſentationum genus. Alterum jubebatur in lege, qua cautum erat, ut mulier, quæ maſculum enixa fuiſſet, illum in Templo præſentaret poſt dies quadraginta; quæ vero feminam peperiſſet, poſt dies octoginta. Ritus hic propriæ filii quidem præſentatio dicebatur, & parentis habita ratione vocabatur purificatio. Alterum vero præſentationis genus ad eos pertinebat, qui ſe voto aliquo obſtrinxerant. Etenim ab ipſo Moſaicæ legis principio hæc inoleverat religioſa conſuetudo apud Hebræos devovendi vel ſe ipſos, vel filios ſuos Deo; ſive irrevocabili modo, & in æternum, vel ſibi reſervata facultate illos redimendi muneribus Domino oblatis, vel Sacrificiis. Ideo circum Jeroſolymitanum Templum ædificata erant conclavia, alia quidem pro maſculis, alia pro feminis deſtinata, aliqua pro pueris, pro puellis alia, ubi votum vel a ſe, vel a parentibus ſuis nuncupatum exolverent. Horum munus erat, Sacris inſervire miniſteriis, & operam ſuam in Templi ornatum locare ſingulis ſecundum ætatem, ſtatum, & captum. Ita Sancta Anna, & Sanctus Joachin ſecundum vetuſtiſſimam eamque maxime venerandam Traditionem, cum provectiori eſſent ætate, ac minime pares filiis gignendis, ſe voto obſtrinxerunt Deo, futurum ut ſi dignaretur ipſis ſobolem elargiri, & excutere notam ſterilitatis, quæ tunc quidem erat turpiſſima, ipſi Templo, quod natum eſſe, devoverent. Deus quippe qui cupiebat, ut nihil miraculo vacuum eſſet in illa, quam ab æterno deſtinaverat Matrem Dei, illos damnavit voti, eiſque largitus eſt Beatam Virginem, quæ erat Aurora illa tandiu exoptata, quæ mox nobis erat paritura Solem Juſtitiæ, ut nos educeret de tenebris peccati, in quas univerſum humanum genus corruerat. Ex quo ablactata fuit, & cum tertium ætatis annum ageret, Parentes, ut votum exſolverent, duxerunt illam in Templum. Nonnulli Sancti Patres teſtantur Præſentationis Sanctæ Virginis in Templo Jeruſalem cæremoniam non ritu vulgari peractam fuiſſe. Non omnem dumtaxat illius Cognationem illuc eam comitari voluiſſe, verum etiam ſecreto quodam afflatu, cujus ignorabatur Myſterium, omnes qui in Jeruſalem aliqua dignitate eminebant, voluiſſe auguſtæ huic intereſſe celebritati, cum interim in Cælo Angeli inviſibiles concentibus ſuaviſſimis Feſtivitatem hanc proſequebantur. Oblatio hæc proculdubio conjuncta fuit cum Sacrificio, non ſecus ac illa Samuelis; ſed illud quod incomparabilis hæc puella obtulit Deo ſui ipſius, & ſuarum rerum omnium longe acceptiſſimum Deo fuit, ac pretioſiſſimum. Aliæ Virgines, quæ tenella ætate præſentabantur, nondum rationis uſum habentes neſciebant quid facerent, ſed hæc, quæ ob peculiare privilegium ab ipſo Conceptionis ſuæ tempore prærnaturæ rationis uſu donata fuerat, & per Spiritum ſanctum edocta, agnoſcebat Sanctæ hujus cæremoniæ momentum, & quam prætermiſit curam, ut eamdem divinæ Majeſtati redderet acceptam? *Idem.*

Si ſanctam Virginem imitari non poſſumus in puriſſima Virginitate, ſaltem imitemur alias ejuſdē. virtutes.

Quamvis hoc feſtum peculiariter ſit Feſtum Virginum; tamen in aliquo ſenſu eſt etiam omnium Fidelium. Si enim non poſſunt omnes Sanctæ hujus Puellæ Virginitatem imitari; poſſunt, & debent imitari ejus humilitatem, caritatem, virtuteſque alias, quæ totam ſtatus ejuſdem felicitatem, & gloriam compoſuere. Non omnes conſecrare Deo poſſunt Corpus ſuum per Virginitatem, ut illa, ſed omnes tenentur ad hujus exemplum illi conſecrare cor ſuum per caritatem. Tenentur omnes evitare mundi corruptionem; ſeſe ſanctificare per executionem, & praxim virtutum, quæ unicuique conveniunt ſecundum ſtatum ſingulorum, ac præſto eſſe, ut Dei pareant conſiliis, ſeu hæc generatim ad Eccleſiam, ſeu peculiariter ad aliquem eorum pertineant. Et licet Deus in myſtico Filii ſui Corpore cujus membra ſumus, ad nullum nos peculiare munus deſtinaret, ſemper habemus magnum noſtræ Salutis opus, ad quam deſtinati ſumus, & ad quam noſmet præparare debemus, & huic toto vitæ noſtræ ſpatio vacare. *Tourneux in anno Chriſtiano Tomo* 12.

Oratio ad Beatam Virginem ad majora dā gratia bene vivendi.

Sancta Virgo, quæ diluculo Domini jugum ſubiiſti, & adeo frequenter temet obtuliſti Deo, tamquam mundam oblationem, & in oculis Dei beneplacentem: ſupple per interceſſionem tuam, ſi quid deeſt oblationi, quam tibi facimus noſtri, ac præſenta nos J. C. Filio tuo, qui non rejiciet, quidquid a tali parente ſibi fuerit præſentatum. Si oculi ejus quidquam immundum in hac oblatione detexerint, illius cruore abluatur, & gratia ſua, quæ te deſtinavit, ac præparavit Matrem futuram Dei Repemptoris hominum, me quoque præparet ad colligendos per vitæ Sanctimoniam fructus Redemptionis noſtræ. *Idem.*

Virtutes ejus cum ætate creſcebant, atque diverſæ illius operationes pro fine ſemper habebant Deum.

Prout hæc adoleſcentula creſcebat ætate, virtutes illius vitæ quidem rationem, non tamen objectum mutabant. Lucebant magis, neque minorem habebant puritatem. In externis occupationibus, & caritatis officiis, non ceſſabat conjungi cum Deo; utens ſenſibus ſuis ad neceſſitatem, & nunquam ad voluptatem. Dicere poſſumus illam mundi objectis circumdatam fuiſſe, quin periculoſa inde impreſſione aliqua afficeretur. Anima illius ab omni tumultu, & nubibus, quas cupiditates gignere ſolent, vacua in ſilentio audiebat vocem Creatoris ſui, & purum veritatis lumen recipiebat. Vivebat ac ſemper ſub oculis Majeſtatis Supremæ converſabatur. Ipſe etiam ſomnus illius, Sancto Ambroſio teſte, ſpecies quædam erat quietis ſacræ, quæ, non interpellabat ſuam applicationem ad Deum; & creata, quin illi minimam mentis evagationem afferrent, opem illi ferebant, ut expergiſceretur; eo modo quo effectus, & Imagines ſuapte natura efficiunt, ut qui illos conſiderant, ad earum cauſſam, atque prototypum aſcendant. *Ex ſecundo Sermone Academiæ anno* 1681.

Votum fecit haſtenus ignotum, quod non ex aliquo vel præcepto, vel conſilio potuit didiciſſe.

Gratiis, quibus Cælitus cumulatur Sanctiſſima Virgo, primum uſa eſt, ut ſe totam Deo devoveret, & quod in aliis fructus eſt ſerotinus conſummatæ Sanctitatis; in ipſa primus eſt fructus Sanctitatis orientis. Oblata ab ipſa pueritia Templo in Sancto receſſu procul a commercio, & corruptione ſæculi, teneram adoleſcentiam ſuam tranſigit altari deſerviens, & Deo vitæ ſuæ primitias conſecrat. Mox Spiritus ſancti lumine afflata, novam, ignotamque virtutem amplectitur, quod nullum præceptum vel conſilium eidem ſuggerere potuit; & per votum, cujus nullum extabat exemplum, ſibi ſacram, ac minime temerandam irrogat legem. Verum votum dixi, cujus nullum extabat exemplum: Blanda ſpes, quam omnes Iſraeliticæ puellæ fovebant pariendi Meſſiam nonne apud illas Virginitatem in opprobrium verterat, & maledictum? Maria una inter filias Sion cogitare non auſa fore ut in ſe Dei electio caderet, alioquin ſeſe attollens ſuper inanem fallacemque hominum æſtimationem, puritatem ſuam incolumem ſervatura, nuntium mittit tantæ huic gloriæ, qua ſe indignam putat, atque contemnit dedecus populare, quod ſe ipſa credit indignum. *Sermo quartus Academia Anno* 1681.

Actus Virtutis quos S. Virgo exercuit in Templo, ſunt Myſteria Deo uni perſpecta.

In ſecrete, abſconditæque vitæ caligine, quam Sancta Virgo ducebat in Templo, quot Sanctas actiones, quot exempla eruditioni noſtræ ejuſdem ſubduxit humilitas? Quot piæ exercitationes, officia, opera bona, conſilia ſervata conſepulta jacuere in Sancto illo receſſu, ubi ſeſe continebat? Sed conemur ſaltem quaſi per caliginem, per velum, quo illius modeſtia retexit, virtutes ejus perſpicere, & non vereamur dicere, ſi humilitas perfecta novit virtutes omnes abſcondere, omnes virtutes adfuiſſe ibi, ubi perfecta humilitas inveniebatur. Tamen relinquenda eſt in obſcura nocte, ubi virtutes abſconditæ oculos noſtros fefellerunt, caritas ardens, quæ illas animabat, & quæ efficiebat, ut ad Deum tamquam extremum unicuique finem referrentur. Cum illa per caritatis hujus conatus conjuncta, antequam ſenſibili pacto eidem per Incarnationem ſuam conjungeretur, concepit Verbum in corde, antequam etiam illud ſinu conciperet. *Ex eodem.*

Patrum ſententia eſt, Mariā Virginitatē voviſſe præſtantia Sacrificii quod Deo fecit in Templo.

Traditio eſt æque vetus, ac Eccleſia, Sanctorumque Patrum auctoritate probata, Mariam tertium ætatis annum agentem Domino oblatam fuiſſe in Templo Jeroſolymæ, & ſecundum internum gratiæ motum ſeſe Deo conſecraſſe per ſollemne votum perpetuæ Virginitatis. In hujus Virginis Sacrificio nihil non magnum eſt; & ſingula ejuſdem pretium commendant: 1. Deus ille eſt, cui hoc Sacrificium offertur; 2. Maria victima eſt, & Sacerdos, quæ ſemet ipſam ſacrificans affert Deo id, quo tunc in mundo nihil erat majus, aut pretioſius. 3. Hoc uno facto offert Æterno Patri filiam, Dei Filio Martem, Sponſam Spiritui ſancto, Reginam Angelis, peccatoribus Advocatam, omnibus hominibus Mediatricem. Quod Sacrificium! quæ victima! quæ Sacerdos! Quam digna te, Deus, hæc eſt oblatio! Poſt orbem conditum viſum ne fuit tale donum, tanta Victima? Quænam Mariæ gloria fuit Virgines numero infinitas docuiſſe modum ſeſe ſupra ſexus ſui imbecillitatem attollendi, imitandi puritatem Angelorum, qui meri ſunt Spiritus, & ſuperandi virtutem eorum ſervantes in vaſis ad extremum fragilibus theſaurum adeo pretioſum! Quodnam inde mihi opprobrium, Deus, niſi ſimilis fuero egregio huic exemplari, ſecundum quod me ipſum componere teneor? *Solitudo Virginum.*

Conſtans Fidelitas, qua Maria ſervavit, & implevit quod illa Domino ſpoponderat in Templo.

Conſideremus qua Fide Maria ſervaverit toto vitæ ſuæ tempore id, quod tres annos nata promiſerat. 1. Conſtans amor, quo Creatorem ſuum diligebat, 2. Vera, & ſolida voluptas, qua ab illo pendebat. 3. ardens deſiderium eidem inſervien di fuerunt vincula, quibus cor Virginis cum Dei corde conjunxerunt. Auguſtum Jeroſolymæ Templum, Aræ Sacræ ad quarum pedes ſępe viſa fuit hæc Virguncula puras, innocuaſque manus in Cęlum attollere, & effundere cor ſuum coram Deo viventi, teſtes fuiſtis Sacrificii, quod illa ſuimet ipſius fecit primo Pręſentationis ſuæ die; ſed quoties illud clam inſtauravit? Quot virtutes hominum cognitioni ſubtraxit, illas exercens in ſolitudine, atque ſilentio? Quo fervore, ac perſeverantia Domino, Deoque ſuo ancillata eſt? Quam Beata es, Virgo Sanctiſſima, cui cum Canticorum Sponſa dicere licet; ego ſemper dilecto meo ſervavi fidem, illi ſervavi poma Nova, & vetera. O quam præclarum eſt conſecraſſe Deo primitias puritatis ab infantia! Quam glorioſum eſt illius florem ſervaſſe uſque ad mortem! *Solitudo Virginum.*

Exterior ſolitudo Mariæ Virginis.

Virginum Deo ſacrarum domus ſita Templum inter, & Altare Sanctiſſimæ Virgini nondum ſatis erat Sancta & ſolitaria. 2. Summus Sacerdos, quem plures fuiſſe credunt Zachariam Sancti Joannis Baptiſtæ patrem ſecreto Dei afflatu poſuit illam non in Sanctuario, quemadmodum ſcripſit Sanctus Germanus, ſed in loco, qui proprior erat illi, quam ubi Virgines aliæ habitabant. 3. Ibi undecim vixit annos tamquam res Sacra, mundi oculis abſcondita; oculi enim profani ſatis mundi non erant, ut Sanctam hanc Virginem intuerentur. 4. In Auguſtiſſimo hoc Templo a creatis rebus ſepoſita, corde, animoque conjuncta, omnia illi conſecrans vitæ ſuæ momenta, ſeque perficiens exercitatione puriſſimi amoris, omniumque virtutum ipſa quoque facta eſt Templum vivens, dignius Deo, quam Salomonicum. Quam tuta erat puritas hujus lilii Cæleſtis, & caſtiſſimæ hujus puellæ in Sancta hoc Solitudine! quid efficere potuiſſet flori, & pulcritudini in hac beata ſede? ubi nonniſi puriſſimum reciprocabat aerem, ubi nullam habebat converſationem, quam cum Angelis, ubi Cælum ſemper patens ſtillabat in ea rorem, quo Virginum puritas alitur, ubi oblectabatur Deus loqui ad cor adoleſcentulæ hujus ſolitariæ? Si Maria ſuper quam Spiritus Dei vigilabat tamquam Sponſam, & quam Angeli tamquam Dei ſui Matrem verebantur, a mundo ſeceſſit integritati ſuæ conſultura; Virgo, quæ non uteretur ſapienti hac præcautione,

ne, nunquid ſperare poteſt ſuam ſe eſſe ſervaturam incolumem ſemet effundens in ſæculum? *Idem.*

Sancta Virgo mentis ſolitudinem cum ſolitudine cordis conjunxit.

Per interiorem hanc ſolitudinem Sanctæ Virginis anima ab omnibus creatis objectis expedita, & uno occupata Deo, mens illius erat ſemper in Cælo, licet Corpus illius eſſet adhuc in terris. In deſerto Jacob Patriarcha vidit Scalam myſticam, cujus apex innitebatur Deo, per quam Angeli deſcendebant in terram, & de terra in Cælum aſcendebant. Sed illud ſomnium erat, & Figura. Enucleemus Myſterium. In ſacra Mariæ ſolitudine terra ſuaviſſimum habet cum Cælo commercium, & Creatura cum Creatore. Deſcendebat Deus in cor Mariæ, Maria vero uſque in Dei ſinum aſcendebat. Deus per juges afflatus loquebatur ad cor Mariæ, & Maria frequentibus deſideriis inceſſanter loquebatur ad cor Dei. O Sanctum, beatumque commercium, quod cum Creatore ſuo fovet cor! O quam ſuavis manſio ſolitudo eſt, cum animam nulla re affectam, quæ ſit extra ſe, Deus unus movet; & ipſa nonniſi de Deo ſollicita eſt, qui in ipſa eſt. *Idem.*

Quomodo amor & Caritas Virginis Mariæ quotidie crevit.

Plurimi Sancti Patres Mariam comparant cum Aurora propter admirabiles progreſſus, quos facit in perfectione. Cum a primo ſuæ Conceptionis momento recepiſſet gratiam, & rationis uſum, non ſecus ac Angeli, utraque uſa eſt, ut inciperet amare Creatorem ſuum, ſimulac vivere incœpit; ac primo illo temporis articulo tanto cum ardore, & caritate dilexit, ut ſemet ſuper Angelos elevarit, omneſque illos in amore ſuperaverit. Bene ſciens uti gratia, crevit in virtutibus, prout ætate adolevit. Sed in Templo potiſſimum crevit pietate, ſcientia, amore, meritis. Ibi, Rupertus Abbas inquit, Spiritus ſanctus intentus ad eam præparandam, ut ſibi Sponſam efficeret, opus ſuum in eadem locavit, quod melius illi vertit, quam Æterno Patri in creatione primi viri, & mulieris. Non eo quod ille artifex eſſet peritior, quam Pater Æternus, ſed quia ille ſuum impendit laborem in feliciori ſubjecto, in terra magis pura, in corde magis fideli, in anima magis innocua. Adam, & Eva quin creſcerent amore, jacturam fecerunt gratiæ, in ipſo terreſtri Paradiſo paullo poſt, quam illam receperant. Sed quanam cum Sanctitate in Templo vixit Maria? quam non adhibuit curam, ſedulitatem, fervorem ut ſemetipſam perficeret? quid prætermiſit, ut ſe dignam Deo Matrem præberet? Quot illa amoris, Religionis, omniumque virtutum actus exercuit in beata illa manſione, vovens Deo ſuam Virginitatem, illius Magnalia contemplans, ac replens animum ſuum veritatibus Legis ipſius? *Idem.*

Cauſſa actionum Mariæ in Templo, & principiũ meritorum ejus.

Cogitate principium, & cauſſam, quæ ad gradum adeo ſublimem perfectionis evexerunt illam. 1. Caritas Dei effuſa in corde illius fuit principium. 2. Amor illius erga Deum extitit cauſſa. Cum Caritas Dei eſſet infinita, cumque amor Mariæ eſſet divini amoris participatio, nulli fuerunt limites, vel fines. Vivere, & amare unum erat & idem. Hoc tempore merebatur ſemper omnibus actionibus ſuis diurnis, atque nocturnis; nam cum magis occupata Deo ſuo, quam Sponſa Canticorum, de illa cum multis Doctoribus dici poteſt, quod corpore illius quieſcente, cor vigilabat. Patriarcharum vota, & deſideria Prophetarum Meſſiæ maturarunt adventum; Mariæ merita illum obtinuerunt, effeceruntque, ut digna fieret Mater illius. Si unicus Sponſæ intuitus cor Dei rapit, mirum ne eſſe debet, ſi tot ferventia deſideria, tot ſanctæ cogitationes, tot actus amoris, quos Maria elicuit in Templo, in ſinum hujus Dei Filium pertraxerint? Si Angeli in Cælo lætantur videntes cor peccatoris in terra pœnitentiam agentis, quanam voluptate, & alacritate, Deus, intueberis innocens Matris tuæ cor tot exornatum virtutibus? *Virginum Solitudo.*

Ad hæc conſiderate quibus artibus Maria in Templo ſe ad ſublimem adeo perfectionis gradum erexerit. 1. Oratione. 2. Lectione. 3. Sublimium virtutum praxi. Per orationem Spiritus ejus de terra aſcendebat in Cælum, ut converſaretur cum Deo. Per lectionem Sacrarum Scripturarum, de Cælo deſcendebat Deus ut loqueretur illi ad cor. Per exercitationem virtutum alebat, augebatque flammam amoris divini quo anima ſua penetrata erat: ita in ſingula momenta creſcens de virtute in virtutem, de claritate in claritatem, tandem merita eſt ſinu ſuo divinum Juſtitiæ Solem complecti. O vitam præclaram! o felicia primordia! O tempus ætatis adeo fragilis, & quo vix cognoſcitur virtus, ſancte traductum, ubi hoc pacto traducatur! *Idem.*

Quomodo Maria Templo fuerit Præſentata ab ipſa pueritia.

Vix, Patres inquiunt, Maria tertium ætatis annum attigerat, cum illa ſe Templo præſentavit ibi offerenda, & in omne tempus Deo ſuo conſecranda. In eo Sancto loco poſuit ſuum vitæ religioſæ tyrocinium per irrevocabile votum caſtitatis, quod tunc nuncupavit Deo, ut iidem teſtantur. Heu! quam procul abeſt, Deus, quo ego tam cito me ipſum tibi tradere incœperim. Verum eſto, ſi per pœnitentiam, fervorem, zelumque meum ea repararem mala, quæ meum ad te reditum præceſſerunt; ſi ſaltem per ignaviam non augerem numerum criminum, quæ expianda ſuſceperam me tibi dovovens! Quam longe abſum, Virgo Sanctiſſima, ab hoc zeli ardore, quo tu ad perfectionem anhelabas! Tu in ſingula momenta augeri, perficique vidiſti per tuam gratiæ fidelitatem virtutes magis heroicas; ego autem video illas quotidie infirmari in corde meo per teporem, atque negligentiam. Pudet me mei Domine! hanc deteſtor, adjuva me, ut illam ſuperem. Exaudi Matrem tuam pro me deprecantem. Hæc Mater mea eſt æque ac tua. Omnia ergo mihi ſperanda ſunt ab illius erga me quidem bonitate, erga te vero auctoritate. *Ex morali Novi Teſtamenti Patris La Neuville Tomo primo.*

Sancta Virginis in hoc mundo conſilium erat conſecrare ſuam Deo Virginitatem.

Poſſumus hoc in loco animum advertere ad rem, cujus extat in Evangelio fundamentum: Videlicet, Sanctam Virginem conſtans iniiſſe conſilium, quod Sanctus Auguſtinus votum appellat permanendi in Virginitate ſua in omne vitæ ſuæ ſpatium, quemadmodum reipſa permanſit: quamvis illi contigerit felicitas concipiendi, & pariendi J. C. ſecundum carnem. Ignorabat illa, ſe ad tantam Matris Dei dignitatem evocari, cum illi ſuam vovit virginitatem; volente Deo, Sanctus Auguſtinus ait, ut illa votum hoc nuncuparet, quin illud aliquam haberet rationem cum Dei Maternitate, ut eas haberet, quæ ejus imitarentur exemplum, & non crederetur, Virginitatis ſtatum uni illi reſervari, quæ Dei filium eſſet paritura. Propoſitum hoc, Sanctæ Virginis votum, hæc ſuimet conſecratio, quocumque modo facta fuerit, ſeu per anteriorem parentum deſtinationem, ſeu ſecretam voluntatem, quam Spiritus ſanctus illi inſpiraverit, hoc illud eſt, quod hac die a nobis coli jubet Eccleſia. Illi, & illæ, quæ hoc pacto ſeſe conſecrarunt Deo in Aſceterio, vel quæ in mundo ſervare decreverunt Virginalem puritatem, quod tot piæ Virgines facere ſolent, in hac Præſentatione, vel conſecratione Virginis perfectiſſimum inveniunt exemplum eorum, quæ ſibi facienda ſunt, ut actionem hanc reddant acceptam Deo, & utilem ſibi. His ſatis eſſe non debet, ſi ſint Virgines, ut illa; opus eſt, ut ſicut illa ſint humiles, verecundæ, obedientes, & omnibus Dei voluntatibus ſubjectæ. Caritas eſt cuſtos Virginitatis, & locus, ubi hæc reſidet cuſtos, humilitas eſt. Non licet amare parum J. C., pro quo nuntium miſerunt iiſdem objectis, quæ illis licebat amare. *Tourneaux in anno Chriſtiano Tomo 12.*

Sanctiſſima Virgo ſeſe præſentans Templo vovet Virginitatem.

Nondum viderat Deus Sacrificium, quod eſſet ſecundum cor ſuum, neque victimam, quæ illi eſſet acceptior. Quod tamen hanc Præſentationem in Templo pretioſiorem effecit, & quod in Maria ſingulare eſt, fuit votum Virginitatis, quod ea ipſa die nuncupavit. Non ambigitur, quominus illa, quæ erat *theſaurus Virginitatis*, ut loquitur Sanctus Joannes Damaſcenus, *Gloria Virginum*; *Virginum vexillifera, & Virginitatis magiſtra*, ſicut Sanctus Ambroſius inquit, non ambigitur, inquam, quominus a primo momento, quo rationis uſum obtinuit, videlicet primo vitæ ſuæ momento, hoc votum emiſerit. Sed hæc præmatura ſuæ integritatis oblatio, Patres inquiunt, erat prorſus interior, & quodammodo confuſa cum actibus ſpiritualibus, quos elicuit reliquarum etiam virtutum primo illo momento. *P. Croiſet.*

Sancta Virgo in Templum ingreſſa fuit admirationi Angelis, & hominibus.

Eadem ipſa die glorioſæ ſuæ Præſentationis in templo, Virgo hæc Æterno Patri dilecta, Mater hæc Unigeniti Patris ſui, hæc Spiritus ſancti ſponſa tota pulcra, ſemper labe vacua, denique Virginum Regina, ſollemne votum nuncupavit Deo ſuo Virginitatis perpetuæ, ac perfectiſſimæ. Hinc Sanctus Anſelmus J. C. alloquens ait; deſcendiſti, Domine, de ſublimi throno gloriæ tuæ in caſta humilis, & abjectæ in oculis ſuis puellæ viſcera, ſed quæ omnium prima per Virginitatis votum ſacrata erat, & quodammodo ſignata. Propter ſacrum hoc ſignum in Scripturis vocatur, *Hortus concluſus*, *Fons ſignatus*. Profecto Sanctus Auguſtinus ait, Virgo non dixiſſet Angelo nuntianti ſibi, ſe Filium parituram; *quomodo fiet iſtud?* niſi antea voviſſet Virginitatem. *Profecto non diceret Virgo: quomodo fiet iſtud; niſi Deo ſe ante Virginem voviſſet. Idem.*

Quam pulcri ſunt greſſus tui, Filia Principis! Quam auguſta fuit hæc cæremonia! Quam pretioſum hoc ſacrificium! quam accepta hæc oblatio! Os, modeſtia, totus corporis habitus hujus adoleſcentulæ ingredientis in Templum, Sanctus Ambroſius inquit, admirationi fuerunt hominibus, & Angelis; ſenſus autem, & Sanctæ cordis ipſius diſpoſitiones quam acceptæ fuerunt Deo! Dies Dedicationis, quo inquit Scriptura, Templum repletum fuiſſe Dei gloria, non tam glorioſus Domino fuit, quam hic, quo Maria venit in Templum; & infinitus victimarum numerus quas immolari Salomon voluit, ut ſollemnitatis illius pompa commendaretur, non fuit tam jucundus in oculis Dei, quam hodierna die illi eſt Præſentatio Virginis adeo puræ, quæ omnino ſeſe illius gloriæ, ac ſervitio devovet. *P. Croiſet.*

Voluntariũ Virginis Sacrificium a Sanctis Joachim & Anna oblatum.

Satis celebrari non poteſt generoſa Sanctorum Joachim, & Annæ pietas; qui cum eſſent conſummatæ virtutis uterque, nihil detrahere voluerunt Sacrificio, quod offerebant. Hæc Virgo tota erat illorum conſolatio; hanc diuturnis precibus a Deo petierunt, atque impetraverant. Voto ſuo ſatisfacere potuiſſent, Templo filiam offerendo, & tres ſiclos erogando, qui in Levitico erant conſtituti ad redimendas Virgines, quæ Domino offerebantur, poſt menſem unum uſque ad quinquennium. Illam Domum ſuam reducere potuiſſent, tamquam unicum ſenectutis ſolatium; ſed affectus eorum neque conſolatus fuit, neque exauditus. Obſecuti ſunt ſtudio Filiæ ſuæ, quæ majori illuſtrata lumine tertio ætatis

ſuæ anno, quam tota ſit humana Sapientia in perfectione callidiſſimæ ſenectutis; ad unguem edocta de Divinis de ſemetipſa conſiliis, ſollicitior apud optimos parentes efflagitavit, ut maturare vellent Sacrificium, quod ægre quidem, ſed omnino illis erat faciendum. Præſentationis cæremonia abſoluta, reliquerunt pretioſum hunc theſaurum in Templo, ut congruis deſerviret miniſteriis; ibique illa in puellarum conclavi permanſit uſque ad ætatem annorum quindecim, qua nupſit Sancto Joſeph, ut maxima adimplerentur Myſteria. Deus, qui caſtum hunc virum illi deſtinaverat, illum pari caſtitatis munere prævenerat; neque Sancta Virgo nuptiis aſſenſa eſt, niſi poſtquam certo cognovit eodem perpetuæ Virginitatis voto utrumque conjugem conjunctum iri, & hoc futurum decus præcipuum eorum conjugii. *Idem.*

Non vulgares virtutes, quæ enituerunt in Sancta Virgine, cũ erat in Templo, in cauſſa fuerunt ut uni illi permitteretur privilegium in Sanctuarium ingrediendi.

Virtutes eximiæ, quæ in Sancta hac Virgine elucebant, & ſupernaturalia dona, quibus Deus illam ornaverat re adhuc integra illi admirationem conciliaverat; ita ut gratiæ prodigium haberetur, & omnes tantam eminentis, ac miraculoſæ ſanctitatis ideam conciperent, ut plures Sancti Patres aſſerant Sanctæ Virgini permiſſum fuiſſe, ut toto eo tempore, quo in Jeroſolymitano Templo permanſit, ſingulari privilegio ingredi poſſet in Sanctuarium, immo etiam in locum ſacerrimum, quo jure ſuo Summus tantummodo Pontifex ingredi poterat, uti liquet ex Sancto Jacobo, cui uni propter inſignem virtutem eadem conceſſa fuerat facultas. In loco hoc Sancto, purarum creaturarum Sanctiſſima meliorem diei partem tranſigebat, effundens coram Deo cor ſuum, & jugiter offerens illi laudum Sacrificia, quæ longe magis pretioſa erant, & Deo cara, quam omnia animalium holocauſta, quæ in templo offerebantur. Aſſequamur, ſi fieri poteſt, quis eſſet ardor votorum ejus, & precum. Soli ſunt Beati Spiritus, conſueti teſtes fervorum illius, qui æquam concipere valuerint ideam Sanctitatis Meditationum ſuarum, excellentiæ contemplationis, pretii, meritique infinitæ multitudinis actuum multiplicium, heroicarumque virtutum, quibus vulgo vacabat Maria per annos undecim, quibus in templo permanſit. *P. Croiſet.*

Maria in Præſentatione ſua Prototypus eſt Virginũ ſeſe Deo devoventiũ in Aſceteriis.

Cum Sanctus Rex Propheta dicebat, *Adducentur Virgines poſt eam*, nonne videtur reſpexiſſe Sanctiſſimæ Virginis Præſentationem, quæ per manſionem ſuam in Templo futura erat exemplum infinito Virginum numero, quæ mundo vale extremum dicentes in Templo traducunt dies ſuos coram divino Sponſo omnia juſtitiæ, & Sanctitatis officia obeuntes: *In ſanctitate, & juſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.* (*Pſ.* 44. *Luc.* 1.) Quot decies centena Virginum millia ſubſecuta ſunt hanc Reginam Virginum, & ad exemplum illius ſe manciparunt Dei ſervitio inter Clauſtra, ut ibi totam vitam traducerent in altiſſimæ pietatis exercitatione? Nonne jure dicere poſſumus Præſentationem Sanctæ Virginis, ejuſque in Jeroſolymitano Templo manſionem fuiſſe tamquam ſacrum prototypum, & ut ita dicam, primam Epocham Inſtitutionis omnium Sanctimonalium? Quam cara, & venerabilis illis eſſe debet hodierna feſtivitas? Ita Domine. Antequam Filius tuus in terras deſcenderet, ac fieret victima pro peccatis noſtris in Cruce, Maria ſola erat Hoſtia digna, quæ tibi offertur. Sanguis taurorum, & agnorum, liquorum libatio, odor thymiamatum nimis materialia erant objecta, quibus afficereris. Sacrificia Abel, Noe, aliorumque Patriarcharum, Magnificentiæ David, & Religioſæ Salomonis profuſiones gratiam aliquem merebantur, ſed penitus tibi ſatisfacere non poterant. Sacrificium Abrahæ, & Annæ Matris Samuelis, tibi quidem accepta fuerunt: ſed quantumvis excellentes hæ eſſent victimæ, ſemper tamen illis aliquod inerat vitium, deeratque iis perfecta puritas, quæ ſi deſit, te dignæ eſſe non poſſunt. Una eſt Maria, in qua nullam inveniſti labem, & quæ potuerit eſſe Hoſtia ſatis Sancta, & pura ſatis, ut cor tuum afficeret, & cieret miſericordiam tuam, donec magnum Crucis Sacrificium accederet. Excipe igitur hodierna die innocuam hanc Columbam, quam non multo poſt Immaculatus Agnus ſubſequetur, qui unus tollere poteſt peccata mundi: Excipe vota Sanctiſſimæ inter creaturas, excipe oblationem Virginis, quæ præcipuum opus eſt Miſericordiæ tuæ, quamvis ſis refugium peccatorum. *P. Croiſet.*

Religioſarũ perſonarum cõſolatio eſt imitari Sanctam Virginem in Præſentatione ejus.

In Sion firmata ſum, & in civitate Sanctificata requievi. Jure Sanctiſſimæ Virgini verba hæc tribuit Eccleſia: eademque ſumma cum conſolatione ab omnibus religioſis perſonis eſſent uſurpanda. Quam bene firmatæ ſunt in Sion per Dei vocationem, per morum innocentiam, per jugem ſine ulla intermiſſione fervorem; & quam ſuavem in civitate ſanctificata requiem inneniunt! Cum religionis ſtatus ſit adeo Sanctus, & cum religioſæ domus ſint innocentiæ perfugium, ſuavis Virginum ſolitudo, ſtabilis virtutis ſedes, tuta ab tempeſtatibus, atque ſcopulis ſtatio, vera promiſſionis terra, ſimillima Sanctæ Civitatis imago, quomodo fieri poteſt, ut illuc tædium, amaritudo, triſtitia, & aliquando etiam pœnitentia illuc ingrediatur? Manna ibi eſt in copia, ſed illud faſtidimus, cum Ægypti cæpas concupiſcimus. Dæmon cum prohibere non potuerit quominus adoleſcens, vel adoleſcentula gratiæ ſequeretur illecebras, quæ illum e mundo convellens ad Religionem vocabat, omnes exerit conatus ſuos, omnibuſque artibus utitur, ut eorum labefactet fidelitatem, & ſterilem efficiat generoſitatem. Primæ illius curæ ſunt efficere, ut leviores regulæ pro nugis habeantur, a quibus quilibet facile ſe diſpenſet. *Idem.*

Quam diluculo Sancta Virgo ſeſe Deo conſecraverit.

Nobis conſiderandæ ſunt duæ præcipuæ virtutes, quæ in ſollemni Præſentatione Beatæ Virginis Mariæ in Templo collucent. Sollicitudo, qua ſemet Deo conſecravit, & perfectio cum qua ſe totam ſine ulla exceptione devovit. Sancta Virgo citius quam potuit, Deo ſe conſecravit, prima enim erat. Non ætatis gracilitas, non corporis infirmitas, non Parentum amor illam deterruerunt. Ubi agitur de ſemet Deo devovenda nihil illam retardat. Quidquid hoc differre poteſt Sacrificium, differt illius felicitatem, & cor ejus affligit. Hoc jam ab ipſa die nativitatis ſuæ perfeciſſet, ſi pietas, & amor erga Deum, & ratio, quæ prævenerat ætatem, ſequi noluiſſet ordinem naturæ, ac hujus legibus ſeſe accommodare. Tres exceſſerant anni, ex quo felicem hunc diem præſtolabatur, & Sancta cum impatientia expectabat. Singulæ horæ, momenta ſingula eidem ſæculo videbantur præ deſiderio videndi ſe ſollemni ritu Creatori ſuo dedicatam: *Quando veniam*, ajebat illa inceſſanter cum Propheta; *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* (*Pſ.* 41.) Quando me offeram Templo ad eliciendam profeſſionem inſignem, ac publicam devotionis meæ Deo meo? Felix momentum, quo ab extremæ pueritiæ meæ vinculis ſoluta apparebo coram Domino in Tabernaculo Sancto ſuo, quam mihi procul abeſſe videris, dicebat illa quotidie. Habemuſne parem ardorem, eaſdemque ſollicitudinem, ubi agitur de nobiſmet Deo dovovendis? Deberemus incœpiſſe diligere Deum, ex quo illum cognoſcere incœpimus. Primus rationis, voluntatis, atque libertatis noſtræ uſus illi debebatur; at illine ſubſequentem ſaltem impendimus? Incœpimuſne amare Deum, & Deo famulari? Facile numeramus annos, & dies, quibus viximus; numquid multos recenſemus in ejus ſervitio tranſactos? vel ut æquius loquar, numeratne Deus plurimos dies a nobis ſincera, atque conſtanti pietate ſanctificatos? Religioni addicti obliviſcunturne unquam annorum religionis ſuæ? eruntne hi totidem dies ſanctificati? Quæ calamitas harum animarum tot privilegiis præditarum, ſi dies earum vacui fuerint, & ſi poſtquam in hominum oculis viſæ fuerint ſpiritualium bonorum locupletes, extrema tamen hora inventæ fuerint nihil habentes in manibus ſuis? Maria tota dicata Deo, Deique amore ſuccenſa a primo vitæ momento ad Templum fertur ad publicam emittendam profeſſionem devotionis ſuæ Deo, triennis, & tenella ætate hac ſollemniter in omne vitæ ſuæ ſpatium ſe conſecrat Deo. Hoc nobis illa tradit documentum, exemplo illud confirmans. Numquid nos inde profecimus? Quænam eſt Epoca noſtræ converſionis? *Sero te amavi*, Domine. Heu! Quot annos elabi ſum paſſus, quin diligerem te! Quot mortales ad ſtadii ſui metam perveniunt, quin nondum te diligere incœperint! *Pater Croiſet.*

Secundum Sanctæ Virginis Mariæ exemplum non ſolũ diluculo, ſed etiam omnino noſmet Deo devovere debemus.

Conſiderandum eſt, non ſolum Sanctam Virginem ſe diluculo devoviſſe Deo, ſed ſe totam illi devoviſſe. Ignorat exceptionem. Ubi agitur de ſe Domino conſecranda omnes infringit nexus, quibus ſuis adhæret parentibus, quamvis arcti ſint. Deus ſuus illi eſt omnia. Omnibus bonis abrennatiat; jamjam Dominus unica eſt pars illius. Propriam abnegat libertatem non aliam habitura voluntatem, quam Dei, qui unica eſt vitæ ſuæ norma. Nuntium mittit omni voluptati propter amorem illius, qui unice delicias ejus conſtituit. Imitamurne Mariæ liberalitatem? Noſmet omnino, ut illa, conſecramus Deo? Nihilne nobis reſervamus, cum etiam meliorem noſtram partem Deo largimur? Religioſis pleriſque hoc contigit, ut ſeſe diluculo tradiderint Deo: & non ſecus ac Sanctiſſima Virgo confregerint vincula quibus parentibus ſuis adhærebant. Verumne alia ſibi vincula ædificant? Omnes elicientes vota ſua bonis omnibus rennntiarunt, religionem ingreſſi; ſed nullamne ſacrificii ſui ſibi partem reſervant? Religionem ingreſſi libertatem ſacrificant, ſed in ſingulorum deſtinatione ſitne unquam propria voluntas? Officia noſtra ſuntne unquam ex ſuperiorum voluntate extorta? Omnibuſque in rebus voluntati eorum obſequimur? Religionem ingreſſi profecto omnibus voluptatibus renuntiamus, crucem ſubimus, & crucifixam vitam ducere profitemur; ſed conſtans, & vera mortificatio eſtne character omnium, qui, vel quæ Religionis ſtatum amplexi ſunt? Amor proprius nunquam ne antiqua repetit jura? nihil ne conceditur illi contra fas, reluctante conſcientia? Immortificatio, & impudicitia omnibus ne Religioſis ignotæ ſunt? Animi cupiditates nunquamne in Clauſtris aſylum inveniunt? Quid proderit ignavis hiſce, & infidelibus animabus, his tepidis, imperfectiſque religioſis ſeſe tanta cum pompa devoviſſe Domino, ſi vita eorum profeſſionem ipſorum mentita fuerit, & ſi Deus in eorum ſacrificio furtum, aut rapinas deprehenderit? *P. Croiſet, in Aſceticis.*

Ad Mariæ exemplum noſmet Deo conſecrare debemus in æternũ cum conſtantia, & perſeverantia.

In actionibus Sanctæ Virginis omnia ſunt Myſterium, omnia ſunt documentum, omnia ſunt confidentiæ ac devotionis argumentum, Virgo Sanctiſſima in hodierno Myſterio tertium agens annum ſe conſecrat Deo; devovet ſe illi in æternum, & in hac oblatione, & conſecratione ſeſe illi tradit ſine ulla exceptione. Præclarum argumentum, inſigne documentum omnibus, in omni conditione, & omni ſtatu. Jampridemne temet devoviſti Deo? Hoc ipſum ab uſu rationis facere

cere

cere debueras. Quot mortales in ſenectute capulari hoc nondum fecerunt! Tu vero id feciſti? Audebiſne adhuc differre, ſi nondum feceris? Si tibi contigit ut Religioſum ſtatum ingreſſus fueris, facile tuos a profeſſionis die annos vales numerare: verum totidem ne recenſebis a primordio conſecrationis tuæ ad hanc uſque diem ſine intermiſſione, & ſine exceptione? Ratio id generoſe efficiendi, & noſmet omnino devovendi Deo noſtro ſincere, perſeveranter, & quin nos aliquando facti pœniteat, eſt per devotionem, & confidentiam noſtram impellere Sanctam Virginem, ut ipſa nos Domino præſentet, ac ſignet, ut ita dicam, converſionem noſtram, ac donationem peculiaribus gratiis, ac Materna protectione. Ad id aſſequendum inſtauremus noſtram erga illam conſecrationem, teneramque pietatem. Noſmet præſentemus illi tamquam Matri dilectiſſimæ, ut nos illa hodie præſentet Filio ſuo. Denuo, ac ſollemniter profiteamur nos velle ſingulariter eſſe devotos, ac ſervos Sanctæ Virginis in omnem æternitatem.

SUPPLEMENTUM

Ad Titulum

PURIFICATIONIS MARIÆ VIRGINIS.

Quid ſit Purificatio, & ad quid inſtituta?

HUjus diei feſtivitas duo magna complectitur Myſteria, Sanctiſſimæ Virginis purificationem, & Præſentationem Jeſu Chriſti. Puriſſima Virginum omnium ſe ſubjicit Legi Purificationis, Sanctus ſanctorum, Æternus novi Fœderis Pater, offert ſe Domino quatenus Victimam. Maria Dei Mater mulierum omnium Sanctiſſima expiationis offert Sacrificium, licet labem nullam contraxerit; unicus Æterni Patris Filius, Redemptor hominum redimi vult, ut pro nobis ſemetipſum immolet in Calvario. Duplex in duplici Myſterio Sacrificium. Matrum omnium amantiſſima venit ipſa Filium ſuum immolatura; Virginum omnium puriſſima, per humilitatem cum ceteris vulgo Mulieribus vult permiſceri. Maria in hac Præſentatione pro hominum ſalute ſacrificat quidquid illi quatenus Matri cariſſimum eſt, Filium ſuum; & in Purificatione, ut ita dicam, immolat, quidquid habet pretioſiſſimum, quatenus Virgo, gloriam Virginitatis ipſius. Quot in uno Myſteria! Deus victima, Virgo, quæ ſolam Matris qualitatem aſſumit; Sanctus Propheta Meſſiam tenens inter ulnas ſuas, & omnia ſecreta, omnemque noſtræ Redemptionis œconomiam evolvens. Omnia hoc in loco nobis prædicant exceſſum divini amoris erga homines, & Deiparæ caritatem erga peccatores; Cultus Religionis, perfecta legi ſubmiſſio, meritum humilitatis, ſalutis neceſſitas. Quanta ſalutarium meditationum copia illi, qui ſpiritum hujus Myſterii aſſequitur! *P. Croiſet in Aſceticis.*

Primogeniti ſecundū legem pretio redimebantur.

Præter Legem Maternæ Purificationis alia quoque lex erat, quæ ad Primogenitum peculiariter pertinebat. Legis vi omnes primogeniti ex Filiis Iſrael Altarium miniſterio erant devovendi, tamquam primitiæ Domino debitæ, & mox pretio erant redimendi. Conſtat legem Purificationis nequaquam Mariam afficere potuiſſe, quæ cum per Spiritus ſancti opus concepiſſet, & Mater eſſet effecta, quin Virgo eſſe ceſſaret, nulla indigere poterat Purificatione; ideoque non debebat ſub hac lege contineri; cum miraculoſa J. C. Nativitas Matrem nonniſi puriorem effecerit: *Unde ſordes in Virgine Matre*, (*Lib. adver. hæreſes hæreſ. 5.*) Sanctus Auguſtinus exclamat? Ubi vel minimam impuritatem invenies in illa, quæ quin ceſſaret Virginem eſſe, Mater effecta eſt? Unde ſordes in illa, in qua Verbum caro factum eſt? Inducit ille Dominum loquentem, ingreſſus ſum tamquam in Sanctuarium meum; inveni illam ſine labe: neque minus puram reliqui illam. Ne mireris, *Mater eſt mea, ſed manu fabricata eſt mea. Idem.*

Sancta Virgo ſe ſubjicit legi, licet legitime ſecum poſſet diſpenſare.

Maria licet Virgo ultro ſe ſubjicit legi, quæ pro mulieribus vulgo lata erat. Ex amore Virginitatis conjicite magnitudinem Sacrificii, hodierna die id immolans, quod, ut ita dicam, Virginum gloriam conſtituit. Satis eſt hunc actum eſſe humilitatis, & Religionis, ut ſe non diſpenſet: ſuo non utitur privilegio. Exemplum, quod illi dederat Filius ſuus octavo poſt Nativitatem ſuam die, ſemet Circumciſionis legi ſubjiciens, non ſinit, ut illa ſe non teneri putet lege Purificationis die poſt puerperium quadrageſimo. Quæ confuſio! quæ exprobratio illis, qui facile diſpenſant ſecum a præcipuis Religionis officiis inanes dignitatis, vel generis titules prætexendo! *P. Croiſet in Aſceticis.*

Deus paruit imperiis Patris ſui, & obtulit ſe tamquā victimam in Templo.

J. C. veniens in Mundum Patri ſuo dixit: ſacrificium, & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi, neque accipere voluiſti holocauſta pro peccato. Tunc dixi; ecce venio. Cognovit ergo Dei Filius, ſacrificia, quæ in Templo offerebantur non eſſe illa quæ Deus expetebat; indigna eſſe magnitudine illius; ſatisfacere non poſſe pro peccato, ſibique datum fuiſſe corpus, ut eorum loco ſuppleret. Quapropter paruit Patris imperio, eique ſe obtulit tamquam Victimam ad honorandam Majeſtatem illius, ejuſque juſtitiam flectendam. Oblatio hæc facta fuit clam in ſinu Virginis, neque alium teſtem habuit niſi Deum: hodierna vero die fit palam in Templo, quo Sanctus Puer affertur a Virgine, & offertur Deo: *Ut ſiſterent eum Domino*. Græci hanc *Occurſus* feſtivitatem appellant, eo quod Simeon Senex fortuito inventus eſt in Templo eodem tempore, quo Sanctus ille Puer a Matre offerebatur Deo, & accepit illum in ulnas ſuas, & cecinit Canticum, *Nunc dimittis*. Hanc vocant luminum feſtivitatem propter cereos, qui accenduntur in honorem illius, qui a Simeone *lumen Gentium* dicitur. Vulgatum nomen, quo utitur Eccleſia, nomen eſt Purificationis Beatæ Virginis, quia hac die venit in Templum ſeſe purificaturam poſt puerperium ſecundum legem, quamvis huic ritui non eſſet obnoxia, quandoquidem illa non ſicut aliæ mulieres conceperit. *Godeau in Homilia.*

In quo ſita ſit magnitudo oblationis J. C.

Præſtantia oblationis J. C. in hoc ſita eſt, quod cognoſcens omnes Patris ſui perfectiones illum ſecundam ſuam cognitionem adorat, videlicet, quantum adorabilis eſt. Antiqua ſacrificia nonniſi propter peculiarem cauſſam aliquam offerebantur, & ut aliquam peculiarem Dei perfectionem venerarentur. Sacrificia in actionem gratiarum Dei bonitatem colebant ob acceptum beneficium. Holocauſtum adorabat illius ſanctitatem; Sed J. C. in oblatione ſua omnes Patris perfectiones adorat, gratias agit de omnibus beneficiis, & ſe per Sanctiſſimæ Virginis manus præſentat ad exequenda omnia ejus conſilia, omniaque ejus decreta in hominum redemptione. Sancta die hac Maria nobis præclarum pietatis, & humilitatis exemplum ſuppeditat; quæ ſe cum diſpenſare potuiſſet a lege ceteris mulieribus vulgo ſubeunda, quoniam ipſa puritas erat, tamen ſe confert in Templum carum filium oblatura, nolens ſe ab aliis diſtingui mulieribus; vobis cogitandum relinquo, quænam fuerit Sanctæ Virginis hujus humilitas, & quænam eſſe debeat noſtra. *Idem.*

Virtutes, quæ S. Virginem in Purificatione ſua comitantur.

Attentius nobis conſiderandæ ſunt virtutes admirabiles, quas Sanctiſſima Virgo in hoc exercet Myſterio. Celat gloriam ſuam nolens apparere, qualis eſt; oſtendit humilitatem ſuam apparens quod non eſt. Venit ſeſe purificatura, non ſecus ac aliæ Mulieres, ſit licet Virginum omnium puriſſima. A Lege hac humiliante immunis, illam in omnibus ejus circumſtantiis adimplet. Licet ſibi cariſſimus ſit Filius hic adorabilis, offert illum morti pro nobis, illum tamquam victimam Æterno Patri præſentans. Hoc illi ſtat caro pretio; audit enim quidquid triſtiſſimum, ac funeſtiſſimum ſibi portenditur; cui quanam obedientia ſemet ſubjicit, Deus meus! Quam conformis eſt ſpiritus Matris ſpiritui Filii, & uterque quam longe a noſtro diſſentit! *Idem.*

Meditatio vitiorum, quibus ſumus obnoxii.

Videri volumus, quod minime ſumus; ſuperbia noſtra pati non poteſt, ut videamur, quod ſumus. Luxus, faſtus, ambitio nos ad Altarium pedes uſque comitantur. Quid ſignificant ſuperbæ hæ honoris notæ, quas nullibi magis, quam in Templo appetimus? Tamen profunda Sanctæ Virginis humilitas nos allicit: nunquid ſemper erimus, aridi, ac ſteriles magnarum harum virtutum admiratores? Noſter puritatis amor magnam ciet in nobis conſcientiæ religionem? Quid facimus, ut adquiramus virtutem adeo neceſſariam, & religioſam. Qui mundi ſunt corde, hi tantum vident Deum. Nunquid legem tanta cum religione obſervamus, quanta Maria? Illam tamen obſervare magis tenemur; Ipſa nihil prætermittit eorum, quæ Deo placere poſſunt: nos vero ſaltem graviſſimum eſſe malum putamus illi diſplicere? an quotidie fere ſine conſcientiæ ſtimulis diſplicemus illi? Proh Deus! quot nobiſmet exprobrare debemus hac in re! Verum ſi aliunde cogitamus quidquid accidit in hoc Myſterio: omnia nobis ſunt documento. *Idem.*

S. Simeon impatienter expectabat Domini adventum.

Bonus Senex, vir juſtus, & timens Deum, qui jampridem Meſſiæ præſtolabatur adventum, ſit voti reus, & hac gaudet felicitate puerum J. inter ulnas ſuas excipiendi. Deus meus, quam gaudes temet communicare, ac tradere illis, qui te diligunt, atque deſiderant, & quam cito eos conſolaris, qui tibi fideliter, ac ferventer deſerviunt! Perſeverans in Deo confidentia nunquam fructu caret: *Nunc Domine*, Simeon ſuaviſſima conſolatione, & ineffabili gaudio cumulatus exclamat, *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Heu! quam verum eſt ubi guſtatur Deus, Creaturas omnes diſplicere, homines, bona, vitam ipſam illi, qui æquum habet æternæ ſalutis conceptum! In communione recipimus Salvatorem eumdem, quem Sanctus Simeon in Templo recepit in manibus ſuis. Ibi gratias eaſdem recipimus; ſed eaſdem ne diſpoſitiones afferimus? *P. Croiſet in Aſceticis.*

Ex frequentiſſimo Jeroſolymæ populo duo tantum Simeon & Anna vident Salvatorem.

Quinam ſunt, quibus videre contigit Salvatorem in Templo? Sanctus Senex, qui tot annos Meſſiam videre cupiebat, & Vidua, quæ ſeorſim in ſeceſſu vitam ducebat, quæ nunquam egrediebatur de Templo, ac dies, noctesque traducebat in precibus, & jejuniis. Hi duo tantum ex ingenti ea civitate hoc privilegio gaviſi ſunt. Deus in populi turba, & Mundi luce non invenitur. Electorum Dei numerus ſemper eſt minimus. *Idem.*

Virgo Sanctiſſima, nimis curæ tibi eſt ſalus mea, ut me in æternum perire permittas. Poſt Deum omnis conſolatio mea

mea eſt in te, ſicut poſt Deum in te unice confido. Nonniſi pro ſalute mea ſuaviſſimum Filium tuum Deo Patri ſuo obtuliſti; ne patiaris me ipſum meæ calamitatis cauſſam fieri. Intercede mihi cordis, corporiſque puritatem, ſine qua tibi placere non valeo. Intercede mihi gratiam accurate ſervandi legem; amandi Deum, eique cum perſeverantia ſerviendi: gratiam denique fovendi erga te pietatem, ac ſingularem devotionem; & ſuſtine ut te in toto vitæ meæ ſpatio, & in mortis exitu habeam tamquam Matrem; & ne permittas me quidquam perpetrare, quo indignus fiam, qui in albo famulorum, filiorumque tuorum recenſear. *Idem.*

Rationes, quæ Beatam Virginem impellere potuiſſent, utſe a lege purificationis eximeret.

Operoſum non eſt rationes invenire ad eximendum J. C., atque Deiparam a duobus mandatis quibus ſeſe hodie ſubjiciunt; facile eſt intelligere Legis dominum jugo illius ſubjectum non eſſe; & Virginem quæ conceperat, atque pepererat modo adeo admirabili potuiſſe ſemet diſpenſare a communi parientium purificatione. Sed noſtra pietate dignum eſt admirari profundam humilitatem, & voluntariam Matris, & Fili obedientiam; & longe dignius humilitatem, & obedientiam hanc imitari. *Tourneaux in Anno Chriſtiano.*

Virginis obedientia, & ſubmiſſio.

Maria ſimpliciter obedit legibus difficillimis, atque ſuperbiæ infeſtiſſimis, quin ratiocinetur, quam ob rem ſit Mater effecta. Peculiarem non habet ordinem, ſequitur commune in lege præſcriptum, ſuoque exemplo confundit modicam obedientiam, qua plerique fidelium Eccleſiæ legibus parent; quamvis leges illæ nonniſi pro eorum ſalute fuerint conſtitutæ; ſed nolunt leges ſalutares, niſi commodæ ſint; omnes fere illas infringunt, optimates quidem per ſuperbiam, atque mollitiem, homines vero ex plebe per ignorantiam. Modicus eſt juſtorum numerus, qui ad imitationem Virginis, & J. C. illas adimpleant cum Caritate; quapropter Sanctus Paulus ait, Legem non impoſitam eſſe juſto; jugum enim illius durum, & grave illis tantum videtur, qui neque legem, neque legislatorem diligunt: nam diligentes Deum, & amantes quidquid ille præcipit, nihil arduum putant, ut eidem placeant. Dei Mater non tenebatur lege matribus communi; ipſa inter Matres erat ſingularis; nihilominus ſeſe aliarum numero inſerit, ut nos doceat ſingularem eſſe virtutem, nihil habere ſingulare, & ſub communium legum obſervantia meritum excellens abſcondere. Ad apicem tempus in lege præſcriptum obſervat, non prævertit illud, nec momentum differt. Ubinam ſunt noſtræ diſpenſationes, excuſationes, ſubterfugia, diſſimulationes? Apage has nugas; deſeramus fallaces hujuſmodi opiniones, quibus acti quærimus immunitates, & appetimus privilegia tamquam excellentiæ teſtimonia. Virtutem, gloriamque noſtram conſtituamus in ſervandis regulis, & legibus juſtitiæ. Impii non aliam legem habent, quam robur, ac vim ſuam. *Sit fortitudo noſtra lex juſtitiæ, quod enim infirmum eſt, inutile invenitur.* (*Sapient. 2.*) Sed ſervi Dei e contra dicant: *Lex juſtitiæ ſit fortitudo noſtra*, quod enim injuſtum eſt, inutile invenitur. *Pater Novet.*

Maria cum Filio Jeruſalem pergit.

Quomodo Beata Virgo ſeſe Jeruſalem confert deferens ſecum cariſſimum filium in Templum, nunquam amovens oculos, & cor ab hoc divino objecto, cui prorſus inhęret! Sequimini illos ſpiritu, ac intuemini J. inter ulnas Matris ſuæ tamquam fontem puritatis, qui abluturus eſt omnia mundi peccata in Sanguine ſuo; inſtar accenſæ facis, divinitatis ſuæ igne fulgentem; & tamquam communem theſaurum, qui perſoluturus eſt omnium hominum redemptionem. Mementote omnes vitæ noſtræ dies, dies eſſe expiationis, nonniſi momento obitus noſtri abſolvendos. Nemini licere in Cæleſtem ingredi, antequam completi fuerint; nihil in illam introire, quod non ſit mundum, & niſi diluculo ablueritis maculas animæ veſtræ in vitæ fonte, vos damnandos eſſe, ut illas piacularibus flammis expietis. Cogitate, vos viatores eſſe ſuper terram, & Filium Dei lucem eſſe, qua inter ſæculi hujus tenebras illuſtramini. Ambulate donec lucem habetis, in virtutis adquiſitione progredimini, ne mors vos deprehendat, voſque ſua involvat umbra antequam ad eum Sanctitatis gradum perveniatis, quem a vobis expetit Deus. Denique cogitate vos creatos eſſe, ut ſupremo fruamini bono, & J. unicum futurum eſſe theſaurum, quem eſtis in æternum poſſeſſuri. Ne igitur alibi collocare velitis cor veſtrum; unum illum concupiſcite, unum illum amate, unum illum cogitate. Quid proderit vobis mundum univerſum lucrari, ſi illius jacturam feceritis, ſine quo eritis miſeri in æternum? *Pater Novet.*

Beata Virgo aſcendit in Templum.

Pervenit Beata Virgo cum J. in Jeruſalem. Gaudium, quo afficitur ad adſpectum Templi, fervor, quo auguſtæ illius Ædis gradus aſcendit, reminiſcens ſe in extrema pueritia ſua ſumma cum lætitia eoſdem aſcendiſſe. Reverentia, qua illuc pedem intulit, & devotio, qua ſeſe ad ſacrificium ſuum offerendum præparavit. Nunquam tot miracula viſa ſunt in magnifico eo Templo; nunquam ibi Deus melius fuit adoratus. Viſi ſunt homines virtute, & genere præſtantes, non autem Homo-Deus. Viſæ ſunt Virgines, & Matres, ſed nunquam Virgo Mater. Viſus eſt Deus adoratus ab Angelis, & hominibus; non autem Deus adorans. Viſæ ſunt Victimæ, & ſacrificia, non autem Victima, quæ omnia Mundi tolleret peccata. Proh! ſi ad Orationem, Miſſam, Communionem pergeres iiſdem cum ſenſibus, quos Beata Virgo fovebat ingrediens Templum oblatura Victimam innocentem, quot conſolationibus, & benedictionibus Cæli implereris? Quænam tibi eſſe deberet lætitia ad Eccleſiam eunti, ut divinorum Myſteriorum particeps fias! Quanam alacritate dicenda eſſent tibi Regis Prophetæ verba: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.* (*Pſalm. 122.*) Quænam mea eſſe deberet puritas, Deus meus, ut in Sanctam domum tuam ingrederer! quomodo auſim prodire coram te plagis ulceribuſque confectus, niſi miſericordia tua adjuvet ſpem meam, & animos addat, ut tibi enarrem infelicitatem meam? *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.* (*Pſalm. 50.*) Pro me Virgo Beata, paruiſti legi Purificationis, quemadmodum pro me Filius tuus Circumciſionis legi ſe ſubdidit. Fac ut obedientia tua ſit mihi exempli loco, o creaturarum omnium puriſſima! & Sanguis Filii tui mihi lavacrum ſit ad emundanda omnia ſcelera mea. *Idem.*

Debemus noſmet offerre Deo, quemadmodum Filium Dei offert ſe ipſum Patri in hoc Myſterio.

Facile eſt oſtendere in Purificationis Myſterio J. C. offerre ſe Patri pro omnibus conſiliis, quæ habet de ſe. J. enim videns ſe quodammodo cumulatum gratiis, quas Spiritus ſanctus effundit in animam ſuam, ne uno quidem momento illas patitur otiari. Harum enim efficit pretioſiſſimam, acceptiſſimamque oblationem Deo Patri. Ad hoc intelligendum conſiderate primum quis ſe offerat, & ſe illi tradat: quod donum eſt omnium maximum, ampliſſimumque. Plurimi offerunt Deo preces, eleemoſynas, jejunia, mortificationes, ſed pauci ſeipſos, & cor ſuum. Semper vero ſibi ſecreto voluntatis ſuæ diſpoſitionem reſervant. Partitio hæc diſplicet Deo; hoc non eſt ſacrificium Abel, ſed Cain, qui offerebat Deo terræ bona, *ſibique cor, ac voluntatem ſuam*, ut Sanctus Auguſtinus inquit, reſervabat. Ne ita partiaris cum Domino tuo; offer te ipſum illi, ac dic illi cum Iſaia Propheta: Domine Deus meus poſſide me, quia a te creatus ſum; non alium novi Dominum niſi te: vel cum Davide: Me tibi trado *Domine, quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.* (*Pſalm. 115.*) *Pater Novet ex Tomo 7. ſuarum meditationum.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

Secundo J. tradit ſe Patri ſuo ſine ulla exceptione, cumque omnia ab illo recipiat, ita ſe totum offert illi. Ita quotidie tibi facienda eſt oblatio tuimet ipſius, omnium facultatum tuarum, talentorum, bonorum, motuum corporis, & animæ tuæ. Tertio: J. ſe offert omnibus, quin cancellos ullos conſtituat extenſioni obedientiæ ſuæ, quærit Patris ſui beneplacitum. Offert, ac mancipat ſe illi ad id exequendum quidquid deliberaverit de vita ſua, deque perſona Matris ſuę, omniumque ſuorum. Secreto jam dicit illi, quod palam dicturus eſt in agone poſitus: *Non ſicut ego volo: ſed ſicut tu.* Pater mi, fac de me quidquid tibi placuerit; voluntatem meam tibi ſacrifico, neque aliud cupio, niſi placere tibi. Quarto loco J. offert ſe toto corde, & affectu puriſſimo, ſanctiſſimo, atque perfectiſſimo pro gloria Dei, & noſtra ſalute. Quod pro Deo facis hoc pari fervore animetur. Amoris tui magnitudine ſupple modicitati rei ejus, quam offers, offerens temetipſum, qui coram illo nihil es. Conjunge cor tuum cordi Salvatoris, vitam tuam ſuę, parvitatem tuam ſuæ magnitudini; & oblatio tua pretium inæſtimabile adquiret. *Idem.*

S. Virgo ſubjicit ſe legi Purificationis, non quia hac teneretur, ſed ut prębeℯret exemplum.

Si Sancta Virgo ſe hodie purificat, nobis potius hoc præſtat, quam ſibi. Purificat ſe, & ſine labe eſt; verum eſt: ſed nos toti in peccatis verſamur, & minima nobis eſt noſmet expiandi cura. Magnum hoc requirebatur ad verecundiam in nobis ciendam exemplum, & operoſum fuiſſet aliud præbere magis idoneum ad movenda impura corda noſtra, quam illud Deiparæ. Caveamus ne quid pereat de pretioſo hoc ſemine, quod Scripturæ hodierna die nobis exhibent. Studeamus ſerio expiare corda noſtra omni immunditiæ genere referta. Nobis perſuaſum ſit, opus eſſet, ut emundemur a Cæleſti puero, quem Immaculata Virgo hodierna die in Domini Templo præſentat. Perpendamus attentius, quanta ſit animæ pręſtantia, quam Salvator per gratiam ſuam expiare dignatur; quinam deinceps eſſe debeant hujus animæ affectus, & deſideria; quam avulſa debeat eſſe a terrę hujus tricis, ut omnes ſuas affectiones in Cęlum attollat uſque ad thronum illius, qui permittere dignatus eſt, ut Mater ſua licet ab omni labe vacua, ſe hodierna purificet die, nobis egregio futura exemplo vitam irreprehenſibilem ducendi. *Lambert in Anno Evangelico.*

Reverentia S. Virginis erga Dei legem a Moyſe latam.

Cum lex Purificationis lata fuerit pro mulieribus vulgo, illi ſemet ſubjicere aliquid erat molle, & delicatum. Illam obſervans Maria diſſimulabat quod erat. Primo ſub hujus cæremoniæ integumento celabat ſuæ Virginitatis gloriam. Secundo amittebat apud homines honorem divinæ Maternitis. Tertio ſacrificabat voluptatem, qua affici poterat, ſi ab omnibus Sancta, pura, innocens haberetur. Tamen reverentia erga Legis auctorem evicit, ne ſecum a lege diſpenſaret, reſpiciens Filium tamquam pulcherrimum exemplum, quod imitaretur; neque illam puduit in Purificatione ſua id facere, quod minime puduit illum facere in Circumciſione. J. C. enim in Circumciſione omnes divinitatis ſuæ characteres abſcondit; Maria in Purificatione ſua omnia celat